

sum Josue adventum solum facile vertisse: verterunt, & alii cum bellum Josue Chanaanos urgeret, quorum etiam exemplum fortasse alii secuti sunt post Dacis illius obitum. Certum ejus transmigrations tempus non nisi temere definiretur, silente Scriptura; sed transmigrasse reipsa vix est cur in apertissimo Scripturæ testimonio negemus (f): *Emittens crabrones prius, qui fugerunt Hevæum &c.*; quæ verba alibi etiam inculcantur (g); atque executioni mandata fuisse Dei promissa Josue (h) & Author Sapientiæ testantur: *Transistis Jordanem, & venistis ad Jericho. Pugnaverunt contra vos viri civitatis ejus Amorrbæus, Phereseus, Chananaeus, Hetbaeus, Gergeseus, Hevæus, & Jebuseus, & tradidi illos in manus vestras, misique ante vos crabrones, & ejeci eos de locis suis, duos Reges Amorrbæorum, non in gladio, nec in arcu tuo.*

Nullus dubito, Deum promissiones suas Israelitis factas ita planè executioni mandasse, quomodo fidem suam obligaverat; depulisse nempe hostes paulatim, atque per partes, quod sanè ab illo præstitum est non tantum cum Regibus Sehon, & Og, quemadmodum textus Josue insinuat videtur, sed etiam cum Chanaanis cæteris, quemadmodum Moyse pro concione ad populum locutus paulò ante obitum suum, & aliquanto post devictos duos Reges Amorrbæorum demonstrat (k). In ea oratione Legillator Divinas promissiones, quibus Deus fidem suam Israelitis castra habentibus ad Sinai, ante quadraginta annos obligaverat, in memoriam revocat:

f Exod. 23. 28.

g Deut. 7. 20. h Josue 24. 12. & Sap. 12. 8.

k Deut. 7. 20. 21. 22.

Non est igitur cur miremur, si nulla Urbes, & regiones continuò occurrant dilapso habitatore desertæ, hæc enim sensim facta sunt, nullâ interim regione ita derelicta ut in desertum transmutaretur.

Nec dissimili ratione factum est, ut Josue tot devictos Chanaanos Reges recensere potuerit, nullasque relinqueretur in eâ gente populus Hebræorum armis intactus. Quemadmodum enim Gabaonitæ è reliquis Hevæis divisi fœdus cum Israelitis sanxerunt; ita etiam contingere poterat, ut pars Gergeseorum, & Jebuseorum, à reliquis secedens, saluti suæ fugâ consuleret; cum interim cæteri conferendis cum populo Dei manibus occuparentur. In vacuis eorum sedes alii Chanaanorum succedebant, quorum corda Deus obfirmaverat, ne datâ sibi respiciendi opportunitate uterentur. Providentia autem Dei, quæ miro occultoque consilio publicas plerumque calamitates magnis servire vicibus populorum, gentium & regionum jubet, ingressum Israelitarum in Chanaanitidem servare voluit dispergendis in varia loca, ac potissimum in Insulas Mediterræici, & in Africam Chanaanis; iisque conditoribus clarissimorum Imperiorum, simulque infrequentium antea regionum frequentatoribus usâ est. Hæc ad nostram Dissertationem, tum & argumentum quod tractamus, maxime conducere visa sunt. Quæ de origine Americanorum à Judæis derivatâ feruntur, in alteram Dissertationem rejicimus (l).

l Vide Dissert. in Regionem, quò decem Tribus sese receperunt.

I N LIBRUM JUDICUM PROLEGOMENON.

JUDICES, quorum hic examinandam historiam proponimus, jura populo Dei dabant, Republicam Israelis moderantes eâ temporis intercapedine, quæ inter Moysem & Josue, usque ad constitutos Reges intercessit. Quare nomen illud non ita ad literam usurpatur, quasi juri dicundo constitutum virum significet, sive tantum politiæ Præfectum, vel Magistratum, cum penes illos summa esset, tum pacis cum belli potestas. Tyrri post veterem Urbem cognominem everfam, atque novam alteram conditam, *Judices* loco Regum constituerunt (m); & Carthaginienses, quæ colonia erat Tyrriorum, Summos Reipublicæ Principes non alio appellatos nomine voverunt, quam *Judices*, Phœnicio nomine *Suffetes* (n), vel *Sufetim*, quod non multum ab Hebræo *Schophetim*, quo in Scriptura Judices, de quibus in presentiarum, nuncupantur. Suspiciantur viri qui-

m Joseph. 1. 1. contra Appion.

n Liu. Decad. 3. l. 8. Suffetes Summus erat Penes Magistratus.

dam Eruditi (o) *Archontes* Atheniensium, & *Dictatores* Romanorum ad Judices Israelitas referendos; nec desunt qui Republicam Israelis sub Judicibus comparent politiæ Germanorum, Gallorum, ac Britannorum ante immutatas à Romanis Leges (p). Grotius in ea est sententiâ Judices Israelitarum nihil fuisse Regibus minores, nisi uno excepto Regio factu & apparatu, cæterum enim potestate pares fuisse; quemadmodum in Interregno Regni Administratores, sive Dictatores in Republica Romana (q).

Manus Judicium non hereditario jure, nec electione possidebatur; vices autem in administratione Reipublicæ Dei, Summi ejus gentis arbitri, gerebant. Cum autem hanc summam in populum auctoritatem retinere sibi Deus summopere vellet, susceptos identidem Judices non nisi in partem modicam, & angustam auctoritatis vocabat. Cum Samuel urgeretur à populo, ut

o Vide Severi in Judic. 3. 2. qu. 1. &c.

p Grot. in Judic. 1.

q Idem in Deut. 17. 9.

ut Regem constitueret, Deus illatam injuriam in se suscepit; quasi scilicet Regnum suum recusasset, cum alterum sibi constitutum postularent: *Non te, ait idem Deus ad Samuelem, abjecerunt, sed me, ne regnerem super eos.* Gedeon offerenti sibi ac posteris Regnum populo respondit. *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vobis filius meus, sed dominabitur vobis Dominus* (r). Perpetua erat ad obitum usque dignitas, quamvis uni defuncto non statim alter sufficeretur, ut series esset per intervalla divisa: suomet arbitrio identidem sibi imperantibus populis, identidem alterius imperio servientibus. Id autem ut populus nullius imperio subigeretur, tunc primum investum in Republicam creditur, postquam Josue, & Seniores cum illo reum potiti fato functi sunt. Cum autem necessitas postulabat sanctitatis à Deo Liberatores populum defendendum suscipiebant.

r Judic. 8. 22.

s Judic. 11.

rebus belli, & pacis, uti belli indicendi, atque nomine totius gentis gerendi; de causis singulorum definitâ sententiâ judicandi. Ad novas condendas leges imponendaque onera quod attinet, hanc Deus sibi reservaverat potestatem, ut ipsi se & populum regere ad Dei nutum, legem & voluntatem ore Sacerdotum, & Urim & Thummim oraculo manifestatam tenerent. Assertores tamen erant Legum, & Religionis, criminum ultores, ac Idololatriæ potissimum, quæ ne irreperet unquam invigilare, aut jam investâ ne ultra glisceret, vî obfistere debuerant.

Animadversione etiam dignum est, Scripturam muneri Regum designando uti verbo *judicare*. Israelitæ ad Samuelem: *Constituæ, inquit, nobis Regem ut judicet nos* (z). Salomon eam à Deo postulat sapientiam, qua *populum judicare possit* (a). Joathan filius Azariæ Regis, vicibus patris functus, *gubernabat palatium, & judicabat populum terra* (b). Non abs re etiam ambigimus, an ex Judicibus Israel nonnulli aliud præter penes illos potestas de Israelitarum causis judicandi. Debora jus populo dicebat sub Judice Barac; & Summus Sacerdos Heli sub Samfone, quem planè Samfonem nunquam judiciale munus egisse novimus in S. Scriptura.

z 1. Reg. 8. 5. 6. a 3. Reg. 3. 9.

b 4. Reg. 1. 5. 5.

Tempus administratæ Reipublicæ à Judicibus 339. annorum intercapedine continetur. Liber Judicum historiam omnium eorum Principum usque ad Samfonem complectitur; quare nihil in eo de Heli & Samuele: obiit autem Samson A.M. 2887. juxta quem calculum in Libro Judicum historia exhibetur 317. annorum. Horum tamen annorum supputatio crucem figit Chronologis. Major ipsorum & Interpretum pars autumat, semper ac in Scriptura pacis aliquis certa aliqua temporis periodus designatur, non ita esse supputationem instituendam, ut annorum numerus à pace per illum Judicem, de quo ibi sermo est, procuratâ ducatur, sed calculum exordium esse post finem pacis alterius Judicis præcedentis. Quare intra designatam annorum periodum non tempus tantummodò administratæ Reipublicæ à Judice illo, de quo agitur, continueatur; quin etiam unâ recensendum tempus præcedentis oppressionis, quod pacem ab antecedenti Judice procuratam exceptit. Quæ planè digerendum annorum ratio & consuetudini repugnat, omnemque vocum naturalem significationem turbat; cum enim dicimus e. g. Princeps depulsis hostibus regionem pacavit, quæ sanè pax 40. annis duravit; quis planè hanc annorum supputationem non exordiretur à pace primùm ab eodem Principe procuratâ? Sed in Libro Judicum omnia planè variare contendunt.

Quò se ab ea difficultate expediret Martham (c), rationem inivit commodam oppidò, & quantum conjicimus, plausibilem. Suspiciatur ille suos esse Judices planè diversos ultra & citra Jordanem, sicut & sua fuisse bella ulterioris & ceterioris regionis. His constitutis, observat post egres-

c Canon. Chron. Egypt. &c. pag. 291. edit. London.

summa erat penes Judices potestas in-

t Judic. 10. 4.

u Judic. 12. 14.

x Judic. 5. 10.

y Ibid. v. 11. Cecineruntque in illo die Debora & Barac. . . . dicentes.

Summa erat penes Judices potestas in-
Dissert. Cabinet. Tom. I.

sum ab Ægypto usque ad conditum Salomonis Templum 480. annos in Scriptura numerari (d); tum & post occupatas ab Israelitis Transjordanicas sedes usque ad Jephthe calculum reddi 300. annorum (e). Si quis autem omnium simul Judicum annos contrahat usque ad Jair decessorem Jephthe, numerum planè 300. annis majorem inveniet; sicut & major est quam annorum 80. intercapedo inter Jephthe & quartum Salomonis annum, cum scilicet Templum ab eodem Rege excitatum fuit. Est igitur ratio ineunda variantibus hisce annorum supputationibus conciliandis, vel certè epochæ istæ deferendæ sunt; quod postremum cum fieri nequaquam possit, ideo temperamento aliquo uti nos oportet. Duplex occurrit; alterum quod vulgo Interpretes sequuntur; aliud quod maximè Marshamo arridet. Nos geminas Tabulas Chronologicas exhibebimus, ad Usserii nempe, & ad Marshami normam; datâ Lectoribus æquâ utrinque facultate, ut quodcumque maluerint systema sequantur.

Fatis sancto Josue, Tribuum Seniores suam singulos Tribum administrasse creduntur; ita videlicet ut coacti in Silo totius gentis concilio, Domini jussiones, oraculo Summi Sacerdotis significatas, attenderent. Accidit ut semel coactus in Concilium populus Dominum consuleret, quænam inter Tribus omnium prima arma susciperet in Chananæos, quos cervicibus Israelis insultantes metuebant. Tribus Juda oraculo destinata est, quæ in expeditionis societatem Tribu Simeon advocatâ, secundo prælio Adonibefechum, victoriâ 70. Regum superbientem, fregit. Versis deinde in Chananæos fortis suæ armis, Urbes plurimas expugnavit, qua facillè occasione, (nisi ad Josue ætatem revocandam historiam maluerimus) Caleb expugnationem Cariat-sepher virtuti Othonielis accepto referens, in præmium expugnatæ per illum Urbis thorum filia suæ Axæ viro concessit. Eo successu animata Tribus Ephraim sumptis armis urbem Bethel aggressa, in potestatem recepit. Nec ceteræ Tribus segiores; namque in hostes singulæ fortis suæ versæ, aliæ quidem validos atque copiosos noctæ adversarios, viribus se impares sentientes, re infecta recesserunt; aliæ non infelici eventu pugnantes, delere hostes cum maximè possent, servare maluerunt, tributo tantummodò illis indicto; quod denique origo fuit & caput malorum in Israele. Sensim enim Hebræi ad idololatriam declinantes, cum frustra à Domino per Angelum (f) sive per Prophetam monerentur, duram à Domino ultionem, multis variisque identidem captivitatibus & oppressionibus afflicti, in suum caput provocarunt.

Primò igitur octennis servitutis jugo à Chusan Rasathaim, Rege Mesopotamiæ oppressi sunt (g); à quo Othoniel, à Domino excitatus, armis in eum Principem motis, miseros relevavit. Post 40. annorum pacem iterum ad servitutem sub Eglon Rege Moab (h); tum iterum ad libertatem per Aod procuratam. Hunc Judicem excepit Samgar, qui percussis vomere 600.

d 3. Reg. 6. 1.

e Judic. 11. 16.

f Judic. 2. 1. Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.

g Judic. 3. 8.

h Ibid. ver. 12.

Philistæis Israellem defendit (i); Jabin Rex Afor septentrionales Judæos sub jugo tenuit 20. annis (k); donec suscitata à Deo Debora, quæ in monte Ephraim jura dabat Israelitis, accitufque ab illa Barac exercitum compararunt in monte Thabor; commissioque cum Sisara Duce exercitus Jabin prælio victoriam sibi, libertatem Israelitis pepererunt. Ejus victoriæ epiniciam cecinit Debora, cujus exemplar in Scriptura adhuc manet (l).

Dura dein servitute, quæ septennio perseveravit, oppressi Israelitæ à Madianitis, tandem relevati sunt à Gedeone. Angeli enim sibi per visum apparentis monitu, crebrisque factis ab illo prodigiis de jussione Divina Gedeon certior factus, comparatis undique copiis exercitum instruxit. Sed jussus à Deo ex hisce reformatis copiis 300. tantummodo selegit, cæteris rejectis. Tum inter sonitum buccinarum, & incensarum facium apparatus, quarum prius lumen intra lagenas figlinas clausum iis disruptis statim apparuit, castra undique in ipso noctis silentio Israelitæ aggressi sunt. Inopinato strepitu atque Hebræorum aspectu terri hostes, ne re quidem tentata, statim in fugam effusi sunt; neque hic cessatum, sed versis in subita trepidatione in suos armis, mutuâ inter se cede sæviterunt. Ruentes in fugam Gedeon insecutus est in ulteriora regionis Transjordanicæ. Redux deinde duras de civibus Soccot, & Phanuel pœnas sumpsit, quippe qui insequenti antea hostes commeatus denegaverant.

Nihil eâ victoriâ elatus Gedeon, cum à viris Ephraim per summam audaciam requireretur quid illos in belli Madianitici societatem non advocasset? demissè respondit, nihil se præstitisse; quod rebus ab Ephraimitis gestis posset equari (m): *Nonne melior est vacuus Ephraim videntis Abjezer?* Porro Abjezer author erat familiæ Gedeonis. Cùm autem Ducis virtute, & prudentiâ capti milites regiam illi posterisque dignitate deferre cogitarent, ille qua erat animi magnanimitate respondit (n): *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vobis filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.* De spoliis verò, concessis sibi hostium inauribus contentus cætera rejecit. Felici senectute diem clausit, relictis 70. filiis; quæ numerosa aded, & florens posteritas tota brevi intercidit, uno excepto Joatham, qui sublati cæteris ab Abimelecho, altero filio ejusdem Gedeonis, piâ fraude servatus est. Abimelech igitur regnum potitus, post exactum triennii regnum in Sichem, gravem suorum defectionem passus est. Seditiosus ducem se præbuerat Gaal, quocum inito ab Abimelecho prælio, victor Abimelech devictum Gaal interfecit, Sichimtas prælio fudit; tum & capta everlaque Urbe rasum eius solum sale disseminavit. Dein ad obsidionem Thebes victor succedens, demissâ è moenibus turris Urbis obessæ per foeminam molâ macinariâ percussus, cum in extremis laboraret, armigeri in se gladium imploravit; ne scilicet, inquit, audiat unquam Abimelechum, tantum Ducem, muliebri manu intercidisse (o).

i Ibid. ver. 31.

k Judic. 4.

l Judic. 5.

m Judic. 8. 12.

n Judic. 8. 23.

o Judic. 9. 10. 53.

Abimelechum exceperunt ordine Thola, Jair (p), Abefan, Ahjalon, Abdon, Samson (q), sub quibus non ita semper rebus felicibus usi sunt Israelitæ, quin ab Ammonitis hinc (r), inde à Philistæis identidem affigerentur; non ita quidem ut regio in hostium potestatem veniret; sed ita tamen, ut tota excurreretur, diripereturque, eaque omnia experiretur mala, quæ à potentioribus hostibus timere solent imbecilliores.

Ammonitæ Jordanis vada transgressi ditionem Juda, Benjamin, & Ephraim excurrerunt, quanquam hæc levia sunt si cum irrogatis ab ea gente malis in Judæos Transjordanæ conferentur. Adnitebantur porrò illi, ut de possessis diutius sedibus Judæos expellerent, quorum afflictissimis rebus juvenis accitus Jephthe cum fratribus (s), post tentatas ab illo frustra pacis conditiones, ad arma conversus, prælioque hostes aggressus insignem victoriam reportavit. Cùm tamen voto se inconsulto obstraxisset, immolandi scilicet quidquid sibi è victoria reduci primùm occurreret, & fortè regredienti patri nemo prius quam filia accurisset obvia, ejus se voti reum teneri autumavit. Neque id tantùm victoriæ lætitiâ temperavit, sed reduci etiam occurrentes Ephraimitæ incendio se ejus ædes absumpturos minitati sunt; quippe quòd socios ad bellum Ephraimitas non advocasset (t). Res ad bellum usque processit; quare confertis utrinque manibus, cùm victoria Jephthæ stisset, Ephraimitæ in fugam conversi sunt; sed obsesso à Galaaditis Jordanis vado, quicunque transgressuri accedebant, si interrogati minus rectè nomen schibboleth proferrent, pro Ephraimitis agniti statim trucidabantur. Samsonis Historia nihil nisi inauditum & supra fidem prodit. Viri ortum Angelus prænunciat (u); ejus cum foemina Philisthæa connubia anam viro præbuerunt assiduis bellis hostes populi Dei vexandi. Eorum menses coactis 300. vulpibus, quas incensas faces trahentes in agros immiserat, misero incendio vastavit. Exerta asini mandibulâ uno impetu 1000. hostes trucidavit. Portarum Gazæ vestes foreque è cardinibus revulsas asportavit. Tandem meretricem deperiens, ejus precibus importunisque querelis devictus, roboris sui secretum omne revelavit; narrans ex intonsa coma, Nazaratûs, & consecrationis suæ insigni, provenisse illud, quod tantopere horrebant Philisthæi, robur infractum. Foemina statim cæsarie viri amputatâ, capitis honorem simul abstulit, & libertatem. Namque ab illa in manus Philistinorum traditus, lumine statim captus, in atrum carcerem detrusus est. Sed viri injuriâ, caro stetit Philisthæis; Festum enim diem simul in Templo Dei sui celebrantibus, cùm spectaculo populis exhibendo captivus productus fuisset, ille invocatâ prius Dei ope, columnis Templi innixus, aded valido apprehensas lacerto concussit, ut tota fabricæ machina subsidens casu suo omnes opprimeret. Ita moriens Samson

p Judic. 10. 1.

q Judic. 12. 9.

r Judic. 10.

s Judic. 11. 13.

t Judic. 12.

u Judic. 13.

majori fuit Philistæis exitio, quam vivens fuisset; quippe qui unâ secum ruinâ Principes omnes viros ejus gentis involverit.

Ad calcem Libri Judicum tres rejiciuntur historiae, quas contigisse credunt Interpretes temporis spatio inter obitum Josue, & Judicem Othonielem medio. Omnium prima occurrit historia Michæ, qui erigi sibi Idolum, & ejus servituti initiari prius filium, deinde juniorem Levitam Bethleemitem curavit. Succedit Danitarum historia, in expeditionem Lais, sive Dan, ad extremam septentrionalem oram Chanaanitidis, profectorum. Tertio paret bellum filiorum Israel cum Benjamitis, in ultionem injuriæ à viris ejusdem Tribus in urbe Gabaa uxori Levitæ cujusdam irrogatæ. Hæc summa Libri Judicum.

De hujus Operis Authore ambigitur; alii enim Judices ipsos suæ singulos historiae Scriptores assignant; alii Phineem, vel Samuelem, vel Ezechiam, aut Esdras. Sed unum eundem esse totius Operis Authorem, qui post Judicum ætatem floreret, satis produnt ea, quæ ad cap. 2. 10. & deinceps leguntur; ubi totius Historiæ generalis quædam idea & summa exhibetur. Observat enim Author, post Josue & Seniorum illi coævorum obitum, novam quendam successisse generationem, nec Domini nec beneficiorum ipsius in Israellem satis memorem. Ex oblivione crimina & Idololatria derivata; tum Dei ultio & hostium ingruentium calamitas. Oppressis relevandis Deus identidem, sequitur idem Scriptor, Judices suscitavit, qui simul & rebus providerent afflictis, & Rempublicam curarent. Deo cum libertate simul restituebantur; mox verò inclinante in deteriora naturâ studia priora repetebant &c. Hi omnes characteres sunt Authoris qui universam simul historiam Judicum præ oculis habeat, non partem tantummodò.

Quæ Operis hujus Authorem constituit Samuelem opinio, his potissimum, fulcitur rationibus non contemnendis. 1. Operis Scriptor tunc florebat, cum Jerusalem à Jebusæis teneretur (x), adeoque ante Davidis regnum. 2. Reipublicæ Hebræicæ administrationem ejusdem Authoris ætate penes Reges extitisse ex eo intelligimus, quòd toties inculcat sub Judicibus, nullum fuisse Hebræis Regem; id autem cum Samuele planè quadrat, quippe qui sub Saule agens, politiam suæ ætatis à politia sub Judicibus quantum distaret, sincerissimâ illâ narratione demonstrare volebat.

Sed contra hanc sententiam quædam opponunt. 1. In eo Libro occurrere nomen *Nabi*, designando Prophete usurpatum; quod sanè ab ætate Samuelis alienum erat; namque ait Author 1. Reg. 9. 9. *Propheta dicitur hodie* (Hebræicè *Nabi*) *vocabatur olim Videns*. Sud Davide etiam, diu equidem post Samuelem, usurpatum nomen Videntis legimus (y): *O Videns revertere in Civitatem in pace*. Sed pro hac sententiâ reponi posset, Samuelem utriusque operis Judicum, & primi Regum Authorem utrobique vocem *Nabi* ætate suâ obtinentem adhibuisse; tunc autem

x Judic. 1. 21. Jebusæum autem habitatorum Jerusalem non deleverunt filii Beniamin.

y 1. Reg. 15. 27.